DISPUTATIO
METAPHYSICA II.
DE
ENTE UT SIC,
QUAM
PRÆSIDE
M. MARTINO BERTLEFFIO,
Prof. Publ.
prævia Ejusdem prælectione publica
RESPONDENS
CHRISTOPHORUS EISWAGEN, Thorun.
adversus
TOBIAM BÖCKELMAN, Smiglâ-Polon.
DANIELEM BAUSIUM, Pomer.
JOHANNEM BRAÜNING, Smiglâ-Pol.
defendet
IN GYMNASIO THORUNENSI,
A. O. R. M. DCC. III. die 2. Maji,
horis consvetis.

THORUNII,
[...]CINA NOBILISS. SENATUS
& GYMNASII.

THESIS I.

Ens ut ſic datur in rerum natura.

Hypotheſis.

EXaminata Metaphyſices Conſtitutione Natura Entis conſideranda venit. Sumitur autem (1) Ens vel *Latiſſimè* pro omni eo, qvod poteſt in propoſitione per copulam componi, ſive ſit Ens reale, ſive rationis, ſive privationis. Vel *Strictiſſimè*, ut ſoli DEO competit Exod. 3. 14. Apoc. 1. 4. 8. Vel *Strictè*, *Propriè ac Intermediè*, qvatenus neqve omnia includit, neqve omnia præter DEUM excludit, ſed indifferens eſt ad creatum & increatum &c. de hoc. (2) Ens ſumitur vel *Participialiter*, ſive *Adjectivè*; vel *Nominaliter*, ſive *Subſtantivè*: de hoc. (3) Ens eſt vel *Poſitivum*, vel *Negativum*: de illo. (4) *Reale* vel *Rationis*: de illo. (5) *Actu* vel *Potentia*: de illo. (6) *Complexum* vel *Incomplexum*: de hoc. (7) Ens conſideratur in qvadruplici ſtatu, nempe: *Fundamentali*, *Ideali*, *Univerſali* & *Formali*, de hoc.

Catatheſis.

DAri *Ens ut ſic* in rerum natura prob. (1) q. datur de hoc Ente diſtincta diſciplina. (2) q. eſt primò cognitum. (3) qvia habet Affectiones reales & prædicata realia: qvæ omnia veritatem ejusdem abunde demonſtrant.

Antitheſis.

OBjic. 1. Ens ut ſic eſt vel creatum, vel increatum: non illud; qvia ſic excluderetur

DEUS: non hoc; q. ſic excluderet res creatas, E. non datur in rerum natura. ℞. Ens ut ſic eſt indiffirens ad creatum & increatum, ſicut animal ut ſic ad hominem & brutum.

Obj. 2. Q. non poteſt eſſe objectum intellectûs, illud non datur in rerum natura. Atqve Ens ut ſic non poteſt eſſe objectum intellectûs: E. ℞. diſt. inter objectum *Qvod* & *Qvo.* Ens ut ſic non eſt objectum intellectûs ut Qvod, Conc. ut Qvo, Neg. Min.

THES. II.

CognataEntis Synonymica ſuntRes, Aliqvid, Exiſtentia, Forma, Natura, Ratio, Qvidditas, Terminus.

Hypotheſis.

AD illuſtrandam Theſin (1) Diſt. inter Synonyma Grammatica & Logica: de illis. (2) diſt. inter Reciprocationem in re ratione eſſentiæ & ratione ſuppoſiti: de illa. (3) diſt. inter æqvipollere Enti omni & certo modo: priori reſpectu æqvipollent Enti Res & Aliqvid; poſteriori reliqva. (4) diſt. inter Rem in generaliſſima, propria & ſtrictiſſima ſignificatione: de omni h. l. (5) diſt. inter Rem & Modum Rei: de illa. (6) diſt. inter Aliqvid, qvaſi habens aliqvam qvidditatem vel aliud qvid: de illo. (7) diſt. inter Exiſtentiam ſumptam *Strictè* pro ſubſiſtentia; *Abuſivè* pro ſtatu & conditione rei; & *Propriè*, ut dicit actualem eſſentiam: de hac. (8) diſt. inter Formam totius ſive

ſive Metaphyſicam, & Partis ſive Phyſicam: de illa. (9) diſt. inter Naturam, prout ſignificat ingenium, vim, inclinationem, & prout notat principium proprietatum & operationum: de hac. (10) diſt. inter Rationem, qvæ dicit ipſam eſſentiam in reſpectu ad cognitionem noſtram, & ut denotat intellectum, operationem mentis, vel probationem aut modum tractandi &c. de prima ſingnif. h. l.

Catatheſis.

RES, Aliqvid &c. eſſe Synonyma Entis inde patet: qvia convertuntur cum Ente ſimpliciter, & æqvipollent Enti partim omni modo, partim certo modo, ut fusè docuit B. D. Calov. in Metaphyſ. div. p. 156. ſeqq.

Antitheſis.

OBjic. 1. Res eſt affectio Entis, E. non ejus Synonymum. ℟. Neg. Antec. Nam Res & Ens tantum Etymologiâ & vocis impoſitione diſtingvuntur, ita ut hoc ab Eſſe, illa â qvidditate reali deſumatur. E. non conſtituit peculiarem affectionem.

Obj. 2. Aliqvid dicitur qvaſi aliud qvid, & ſic diverſitatem Entis ſignificat, E. non eſt Synonymum Entis. ℟. Derivationem hanc eſſe falſam, rectiusq; dici Aliqvid qvaſi habens qvidditatem aliqvam, & ſic æqvipollet Enti ſimpliciter.

Obj. 3. Aliqvid dicitur de Ente Rationis & privationis, de qvibus Ens dici non poteſt, E. Aliqvid non eſt Synonymum Entis. ℟. De qvibus

Ens dici non poteſt in latiſſimo & ſtrictiſſimo ſignificatu Neg. in Stricto ac Proprio dici non poteſt Conc. Ant. Neg. Conſeq.

THES. III.

Ens definiri non poteſt.

Hypotheſis.

INtelligenda eſt Theſis (1) de Ente qvà Ente, adeoqve de objecto Metaphyſicæ adæqvato. (2) de Definitione Logica, perfecta & ſtrictè tali; non de deſcriptione, vel analogicè ſic dicta definitione.

Catatheſis.

ENs non poſſe definiri accuratè prob. (1) q. univerſaliſſimum eſſe & aliqvid ſupra ſe generalius vel juxta ſe æqvale agnoſcere, contradictionem implicat (2) q. omnis definitio propriè & ſtrictè talis eſt tantum rerum compoſitarum. Ens autem non eſt compoſitum ſed ſimpliciſſimum qvid.

Antitheſis.

OBjic. 1. Ens eſt, cui non repugnat exiſtere, E. Ens poteſt definiri. ℞. De Ente in genere & adæqvato Metaphyſ. objecto Neg. de Ente in potentia Conc. totum. Dein, à poſſe ad eſſe N. V. C.

Obj. 2. Ens eſt, qvod non habet prædicata ſe mutuò deſtruentia, E. Ens definiri poteſt. ℞. per Inſt. Nec non Ens habet prædicata ſe mutuò deſtruentia, e. g. chimæra, biceps monſtrum; non tamen ideo evadit Ens.

THESIS IV.

Ens est, qvod intrinsecè habet essentiam realem & positivam.

Hypothesis.

PRo explicanda Thesi Not. (1) Ens intelligendum esse, prout est extra intellectum, non prout incipit ab intellectu. (2) Habere essentiam non aliud esse, qvàm operari & influere in aliqvid, habere affectiones, agnoscere qvalemcunqve definitionem, & esse tale qvid, qvod fieri non implicat.

Catathesis.

ENs rectè à Philosophis describitur per essentiam tanqvam per formam, tam per relationem ad mentem nostram, prout abstractè consideratur, qvàm pro ratione inexistendi, in qvantum in natura ponitur.

Antithesis.

OBjic. 1. Hæc descriptio est circularis, qvon. æqvè dubium est habere essentiam & esse Ens, E. est vitiosa. ℞. (1) dist. inter Circulum & Regressum: hic Conc. ille Neg. ℞. (2) Neg. prob. q. Habere essentiam notius est qvàm esse Ens.

Obj. 2. Essentia, per qvam definitur Ens, aut est Ens, aut non Ens. Si prius, idem per idem definitur: si Posterius, E. non Ens definire poterit Ens. ℞. (1) Non esse sufficientem partium enumerationem, & sic malè concludi à non distributo: q. essentia est forma Entis: datur

itaqve tertium. ℞. (2) E. idem per idem definitur, materialiter Conc. formaliter Neg.

THESIS V.

Ens est conceptus latissimus.

Hypothesis.

SErmo hic est de Ente ut sic, non de Ente præcisè. (1) Non de communitate rei, sed de communitate nominis. (1) Non de conceptu Entis, relatè ac sub expressiori ratione in immediatè inferioribus spectato; sed absolutè & in præcisione, prout abstractus ab omnibus sese intellectui nostro sistit.

Catathesis

VErè dicitur de Ente, qvod sit conceptus generalissimus: qvoniam omnia, qvæcunqve extra nihil constituta sunt, Entia sunt, imò si in latissima signific sumatur, etiam qvæ futura non sunt, modo ipsis non repugnet existere, Entis nomen sibi vendicant.

Antithesis.

OBjic. 1. Intelligibile, Aliqvid, Aliqvid positivum & Essentia sunt genus Entis, E. Ens non est conceptus generalissimus. ℞. Neg. Antec. q. (1) implicat esse generalissimum conceptum & habere genus. (2) q. Genus debet esse Synonymum Logicum, qvod univocè prædicatur de inferioribus: at Aliqvid & Essentia sunt tantum Synonyma Grammatica æqvè latè patentia. (3) q. Intelligibile cum Ente convertitur, E. non est genus.

Obj. 2.

Obj. 2. Minus Universale, ut est species specialissima, plura sub se comprehendit, qvàm Ens: qvia species specialissima comprehendit infinita individua, E. Ens non est conceptus generalissimus. ℞. Plura sub se comprehendit species specialissima immediatè Conc. mediatè Neg. q. Ens comprehendit sub se species, qvæ sub se comprehendunt infinita individua, E. est latius & communius.

THESIS VI.

Ens est primò cognitum.

Hypothesis.

VAlet Axioma (1) de Ente concreto singularizato & in statu fundamentali; non de Ente ab inferioribus præcisè abstracto & statu ideali sumpto. (2) de cognitione confusa & originali; non de distincta sive habituali. (3) de cognitione intellectiva non sensitiva.

Catathesis.

ENs esse primò cognitum prob. (1) q. Indoles intellectus nostri hæc est, ut in cognoscendis rebus exordium capiat à communissimis & ab his ad adæqvatam rerum cognitionem progrediatur: qvon. intellectus noster est agens naturale, qvod à potentia procedens in actum, ab imperfectiori tendit ad perfectum, à confuso ad distinctum. Sed imperfectissimus est conceptus Entis primùm actuans & terminans intellectum. (2) q. ut se habet sensus in sentiendo, ita intellectus in intelligendo. At

sensus primò apprehendit communia, E. & intellectus.

Antithesis.

OBjic. 1. Ens ut sic est remotissimum à sensu, E. non est primò cognitum ab intellectu. R. (1) per Inst. DEUS est remotissimus à sensu, attamen potest dici primum cognitum naturale. R. (2) de cognitione distincta Conc. de confusa Neg. Conseq.

Obj. 2. Q. est prius natura, id est ultimum in cognitione. Atqve Universalia sunt prima naturâ, qvale est Ens ut sic, E. Universalia sunt ultima cognitione. R. dist. inter *prius* naturâ secundum perfectionem naturæ & secundum processum naturæ; qvoad illam Neg. Min. qvoad hunc Neg. Majorem.

Obj. 3. Ens ut sic est cognitu difficillimum, E. non est primò cognitum: q. intellectus à facilioribus ad difficiliora pergit. R. de cognignitione distincta Conc. de confusa Neg. Ant. & Conseq.

THESIS VII.

ConceptusEntis tamFormalis, qvàm Objectivus est unus, & abstractus ab inferioribus.

Hypothesis.

HIc (1) dist. inter unum rei ac nominis simul; & rationis tantum. Illo modo unus est Conceptus Formalis, hoc objectivus. (2) dist. inter præcisum ratione tantum & realiter: utroqve mo-

modo præcisus est Conceptus Formalis. (3) dist. inter abstractum abstractione Præcisionis & Exclusionis: illo modo abstrahitur Conceptus Objectivus.

Catathesis.

QVoad prius membrum Theseos prob. (1) qvod detur Conceptus Entis formalis: q. datur species, qvâ Ens idealiter præsens menti sistitur. (2) Eundem conceptum esse re & nomine unum: q. singularis est & individuus, ut qvævis species repræsentativa: & vox Entis una & simplex est, eâqve auditâ mens nostra non distrahitur hinc inde sistendo sibi plures naturas; sed potius his omnibus commune esse concipit. (3) Qvod sit abstractus ab inferioribus scil. substantiæ & accidentis conceptibus: q. alia specie indiget mens nostra ad concipiendam substantiam vel accidens; aliâqve ad communem utriusqve rationem. Qvoad membrum posterius prob. (1) Dari conceptum objectivum: q. datur natura Entis omnibus communis; secundum qvam unumqvodqve Ens dicitur, qvâ per formalem conceptum repræsentatur. (2) Eundem esse unum: q. necesse est dari talem conceptum objectivum, qvi adæqvatè respondeat Entis conceptui formali, nec expressè dicat substantiam vel accidens: qvon. Formalis Conceptus totam suam unitatem & rationem habet ab objecto. (3) Esse abstractum præcisivè: q. cognoscitur conceptus communissimus non apprehensis distinctis ac determinatis essendi rationibus.

Anti-

Antithesis.

OBjic. 1. Q. est singulare, id non potest esse objectum intellectus. Atq; Conceptus Formalis est singularis, E. ℞. Singulare non potest esse objectum intellectûs, potest tamen repræsentare rem universalem: sic Idea in intellectu est singularis in existendo; est tamen universalis in repræsentando.

Obj. 2. Si daretur conceptus objectivus, esset unus; sed non potest esse unus: q. intellectus plura simul apprehendere potest. E. non datur. ℞. Neg. Subsumptum cum probat. qvia intellectus plura potest concipere diversis actibus distinctè, & uno actu confusè.

THESIS VIII.

Entis Conceptus non est Univocus.

Hypothesis.

SCotistæ solent distingvere inter Univocum *Physicum*, *Logicum* & *Metaphysicum*. Illud dicunt esse speciem infimam. Istud dicunt consistere in convenientia primarum notionum in secundis, nim. genere & specie. Hoc esse conceptum ipsum formalem: atqve hoc iterum duplici modo se habere: Vel qvat. contradistingvitur æqvivocis & sic complectitur Analoga; Vel qvat. omnimodam rerum in definitione convenientiam dicit. Nullo modo est Univocum Ens, nisi Metaphysicum in priori respectu, qvat. idem est ac Analogum.

Cata-

Catathesis.

ENs non est Univocum. (1) q. Ens non est genus nec species. (2) q. creaturæ non eandem Entis speciem à DEO recipiunt, qvam ipse habet infinities perfectam; sed imperfectam & mutilatam. (3) q. univocata in ratione sui univoci sunt æqvalia, neqve aliqvid plus participat de eo, qvam reliqvum.

Antithesis.

OBjic. 1. Q. conceptus est unus, ille etiam est univocus. Atqve conceptus Entis est unus, E. R. Neg. Maj. q. aliud est unus, aliud univocus. Potest esse conceptus per analogiam unus, non tamen univocus.

Obj. 2. Ubi est præcisio, ibi & univocatio. Atq; in conceptu Entis est præcisio, E. R. Neg. Maj. q. præcisio etiam datur in analogia.

Obj. 3. Ubi est nomen & essentia communis, ibi etiam est univocatio. Atqve in conceptu Entis, E. R. Ubi est nomen & essentia communis æqvaliter, ibi datur univocatio. Conc. ubi inæqvaliter Neg. Maj.

THESIS IX.

Entis conceptus non est æqvivocus.

Hypothesis.

LOgici solent distingvere inter Æqvivocum consilio & casu. de utroqve. Alii dist. inter Æqvivocationem Logicam, Rhetoricam & Politicam; de omni h. l. Alii dist. inter æqvivoca *simpliciter* & secundariò: hæc iterum vel in

æqvivoca Dependentiæ, qvæ vocant Analoga; vel in æqvivoca similitudinis. Deniqve dist. inter æqvivoca materialiter & formaliter considerata: de illis.

Catathesis.

ENs non esse æqvivocum prob. (1) q. Æqvivoca nec pariunt scientiam, nec prædicata habent essentialia, in qva possint resolvi, nec de illis aliqvid certi propter indistinctionem potest prædicari: At hæc omnia dantur in Ente, E. non est æqvivocum. (2) q. si Ens de DEO & creaturis æqvivocè diceretur, nihil de DEO naturaliter cognosceretur contra Rom. 1.19.20.

Antithesis.

OBjic. 1. Ens dicitur æqvivocè de DEO & creaturis: q. creaturæ respectu DEI non sunt dignæ nomine Entis, E. est æqvivocum. R. Neg. Antec. cum probat. in rigore philosophico sumptâ.

Obj. 2. Porphirius & Aristot. passim Ens æqvivocum vocant, E. R. in illo significatu, qvat. omne illud est æqvivocum, qvod non est univocum, Conc.

THESIS X.
Ens est Analogum.

Hypothesis.

INtelligenda est Thesis (1) de Analogia Attributionis, non Proportionis. (2) De Analogia Attributionis intrinsecæ, ita ut forma denominans sit in utroqve membro; qvamvis in uno abso-

absolutè, in altero per habitudinem ad aliud; non attributionis extrinsecæ: ubi forma denominans in uno tantum extremo est; in cæteris verò saltem intrinseca habitudo ad aliud. (3) De competentia inæqvali, non æqvali.

Catathesis.

ANalogia Entis defenditur Rationibus his. (1) q. Ens nec est Univocum nec Æqvivocum, ut ostensum. E. Analogum. (2) q. Ens inæqvaliter contrahitur, E. etiam inæqvaliter præscinditur: hinc si est inæqvale in re, erit etiam inæqvale in conceptu.

Antithesis.

OBjic. 1. Non datur prius & posterius in conceptu, sed saltem in existendo, E. conceptus Entis non est Analogus. Conseqv. prob. q. Analogia est communicatio ejusdem essentiæ per prius & posterius. R. Neg. Ant. q. etiam in conceptu datur prius & posterius, per abstractionem ab illis, qvibus realiter inest. Nam qvod prius est in re, prius est etiam aliqvando in conceptu.

Obj. 2. Q. æqvaliter participat ratione prædicationis, illud non est Analogum. Atqve Ens æqvaliter participat in ratione prædicandi. E. Min. prob. q. nulla est differentia in primitate prædicandi in his: Substantia est Ens, & Accidens est Ens. R. Et in ratione prædicandi est inæqvalitas: q. non esset vera propositio: Accidens est Ens, nisi prius vera esset, Substantia est Ens.

THES. XI.

Essentiæ rerum sunt æternæ.

Hypothesis.

ESsentiæ rerum dicuntur æternæ (1) non in esse reali, proprio & formali, ac si in se semper durent; sed in esse cognito ideali & repræsentativo: (2) Non *Physicè* secundum essentiæ realitatem; sed *Logicè*, secundum prædicatorum essentialium & veritatem & connexionem.

Catathesis.

ASsertum prob. h. m. Qvia ideæ rerum fuerunt in

DEO

DEO ab æterno, ad qvarum exemplar formatæ sunt ipsæ in tempore: unde etiam dicuntur æternæ veri eis: qvon. qvod est de essentia rei, id necesse est, perpetuò rei conveniat.

Antithesis.

OBjic. 1. N. creatum est æternum. Atqve O. essen rerum sunt creatæ, E. non sunt æternæ. R. N. Cre tum est æternum in esse reali, proprio & formali Co in esse cognito ideali & repræsentativo Neg. Maj.

Obj. 2. Si essentiæ rerum sunt æternæ, E. etiam æterno extiterunt. Sed hoc falsum, E. & illud. R. fuerunt æternæ physicè, & ratione inexistentiæ etia ab æterno extiterunt, Conc. Si Logicè & ratione co venientiæ sive prædicationis, Neg. Connexionem.

THES. XII.

Essentia rei est indivisibilis.

Hypothesis.

DIst. hic venit. (1) inter Accidentia & essentia in se spectatam. de hac. (2) inter essentiam co positam & simplicem de hac. (3) inter indivisionem t tius in partes essentiales vel integrales, & in alias sib qve æqvales. de hac.

Catathesis.

RAtio Axiomatis est: qvia Essentiæ rerum sunt sic numeri. Qvemadmodum itaqve numerus in plur tales, qvalis est ipse dividi non potest: ita nulla essen tia in plures tales, qvalis est ipsa, dividi potest.

Antithesis.

OBjic. O. Totum est divisibile. Essentia rei est to tum aliqvod, E. est divisibilis. R. Dist. inter To tum simplex & Compositum, inter Essentiam [illegible] cem & compositum: inter divisionem in p essentiales sive integrales & essentias æq priori modo Conc. posteriori Neg. totum.

FINIS.